

atque istaec eadem quae mihi dixti tute dicas mulieri :  
suspicionem hanc propter fratrem ei(u)s esse et illam 600  
psaltriam.

10 *MI.* si ita aequom censes aut si ita opus est facto, eamu',

*HE.* bene facis :

nãm et illi(c) animum iam relevabi', quae dolore ac miseria  
tabescit, et tuõ officio fueri' functu'. sed si aliter putas,  
egomet narrabo quae mihi dixti. *MI.* immo ego ibo. *HE.*  
bene facis.

omnes, quibu' res sunt minu' secundae, mage sunt nescioquo 605  
modo

15 suspiciosi ; ad contumeliam omnia accipiunt magis ;  
propter suam inpotentiam se semper credunt claudier.  
quapropter tẽ ĩpsum purgare ipsi coram placabilius est.

*MI.* et recte et verum dici'. *HE.* sequere me ergo hac  
intro. *MI.* maxume.

## iv

## A E S C H I N V S

Discrucior animi :

610

hocin de inproviso mali mihi obicĩ tantum

610<sup>a</sup>

ut neque quid me faciam nec quid agam certu' siem !  
membra metu debilia sunt ; animu' timore obstipuit ;

5 pectore consistere nil consilĩ quit.

vah

613<sup>a</sup>

quo modo mẽ ěx hac expediam turba ?

tanta nunc suspiciõ de me incidit neque ea inmerito : 615